

IN NOMINE DOMINI AMEN. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, Thur(ingie) lantgravius et Saxonie comes palatinus omnibus imperpetuum. Quoniam | mortalium non est recordatio diuturna et locum eius oblivio tandem soleat occupare, utiliter providetur, si memoria fluxilis et incerta scriptis attentis^{a)} adiuvatur. Hinc est, quod nolitum esse volumus universis, ad quorum noticiam pervenerit presens scriptum, Theodericum Catulum burgensem nostrum in Vriberch partem ville in Erlwinstorh^{b)}, quam a nobis iure feudali manu | tenuit tam in mansis quam ecclesia et iudicio quam etiam omnibus suis attinenciis, quas in eadem villa habet pariter et in agris, Cellensi monasterio pro LXX marcis argenti III^{or} marcis | minus iusto emptionis titulo vendidisse. Verum quoniam prefatus Theodericus omnia, que habuit in prefata villa Erlwinstorh^{b)} a nobis iure feudali manu tenuit, ea nobis in Misna | multis presentibus secundum morem terre nostre ad utilitatem Cellensis ecclesie resignavit. Nos vero, quoniam locum Cellensem et personas inibi domino famulantes affectu tenemur diligere speciali, villam | prehabitam cum omnibus suis utilitatibus nunc habitis vel quas habere poterit in futurum pro salute nostra necnon pro remissione predecessorum nostrorum peccaminum, et etiam quoniam relatione veri|dica intelleximus iam dictam villam quandoque prefati monasterii proprietatem fuisse licet calliditate quorundam subdola in usus alienos transierat, eidem monasterio cum omni libertate, qua cetera bo|na sua possidet, sub nostra iurisdictione^{a)} sita contulimus liberaliter perpetuo possidendam statuentes atque sub optentu gratie nostre volentes firmiter observari, ne aliquis | advocatorum seu iudicum nostrorum in prenominata villa sive agris vel terminis universis ad ipsam spectantibus, sicut nec in ceteris eiusdem ecclesie bonis presumat aliquatenus exercere | iudiciariam potestatem. Ut igitur emptionis huius atque omnium supradictorum iugis memoria perseveret et robur validius obtineant firmitatis, paginam presentem conscribi | iussimus et sigilli nostri munimine solidari. Acta sunt hec in Misna anno domini M^oCC^oL, III^{to} kalen. aprilis, octave indictionis, presentibus hiis, quorum nomina sunt subscrip|ta: Christofero scriptore nostro, Alberto dapifero, Theoderico Levi, Ruldulfo^{a)} et Conrado de Lupe et aliis quam pluribus.

(SP.)

20.

Markgraf Heinrich von Meißen nimmt das (Zisterzienserinnen-)Kloster Beuren in seinen Schutz und befiehlt seinen Leuten, insbesondere den Villici von Weißensee, Thamsbrück und Gotha, das Kloster nicht zu schädigen, sondern es vielmehr zu fördern und mit eigener Hand zu verteidigen.

1250 April 13, Gotha

Original: Würzburg, StA, Erzstift Mainz Urkunden MU 88 (olim: Geistlicher Schrank L 12/3) (A); Abb.: Reinhold, Beuren, S. 56 — Provenienz: Beuren, Zisterzienserinnenklos-

19. a) sic A.

b) sic A; in einem auf der Rückseite der Urkunde angebrachten Vermerk (saec. XIV) lautet die Schreibung des Ortsnamens Erlwinstorph.